

322. *Testamentum ad pias causas non subjacet dispositioni juris civilis.* — Probatur etiam ratione, videlicet, quia testamentum ad pias causas nullo modo subjacet dispositioni juris civilis, sed secundum canones, juraque naturæ et gentium judicandum venit, arg. c. *Relatum*. 11. h. t. prout ipsi etiam fatentur adversarii, qui propterea communiter docent quod in testamento ad causas pias mulier possit esse testis; item quod testes necessario non debeant esse rogati, etc. non obstante, quod jus civile contrarium disponat: ergo pariter non obstante, quod quis jure civili testari nequeat, poterit saltem testari ad causas pias, si de jure naturæ ac gentium inhabilis non est. Et profecto nulla apparet solida ratio, cur testamentum ad pias causas coram testibus fœminis valeat, et non valeat testamentum ad pias causas a prodigo v. g. factum, cum de jure civili non minus invalidum sit testamentum coram testibus fœminis, quam a prodigo factum: et ratio, ob quam testamentum ad pias causas coram fœminis factum valet, videlicet, quia in testamento ad pias causas non attenditur dispositio juris civilis, æque militet in testamento ad pias causas a prodigo facto: ubi autem eadem est ratio, ibi eadem esse debet dispositio.

323. *De bonis, quorum dominium quis non habet, nec ad causam piam testari valet.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent: » quia de bonis aliquo modo alienis, et de quibus sine præjudicio tertii testamentum a dictis inhabilibus fieri nequit neque ad causam piam testari valent. Ratio est; quia Ecclesia, et sacri canones causis piis privilegium cum præjudicio aliorum concedere nequiquam intendunt, arg. c. *iv. de Sepult.* in 6. ubi propterea filiusfamilias de bonis adventitiis (quorum usumfructum parens habet, consequenter quorum dominium perfectum ad filiumfamilias non pertinet) etiam ad causam piam testari prohibetur; ne videlicet alias præjudicium emergat patri, utpote qui usufructu, de jure sibi competente, si tale testamentum ad pias causas valeret, privaretur. Idem universaliter dic de omnibus illis, qui etsi solo jure civili testari prohibeantur, tamen ob delictum, confiscationem omnium bonorum inducens, sunt inhabiles ad testandum, quia cum leges civiles talibus delinquentibus bona juste auferant, eaque fisco attribuant, non intendit Ecclesia

cum præjudicio fisci, talibus concedere privilegium testandi ad causas pias.

324. *Hinc rei criminis læsæ majestatis, incestuose nubentes, deportati, banniti a Cæsare hæretici, filiusfamilias testari ad causas pias non possunt.* — Infertur proin, quod, quia juxta dicta, rei criminis læsæ majestatis; contra-hentes incestuosum matrimonium; deportati et banniti a Cæsare; et hæretici illico sua amittunt bona, eaque fisco cedere debent testamentum etiam ad causas pias facere non valeant, licet sola lege civili ad testandum sint inhabiles. Pariter quia filiusfamilias bonorum profectiorum, et adventitiorum perfectum dominium non habet; cum usufructus regulariter ad patrem pertineat, juxta dicta n. 295. nec ad causam piam testari valet. Aliud est de illis bonis profectiliis et adventitiis, quorum usumfructum pater non acquirit; cum enim horum perfectum habeat dominium filiusfamilias, testandoque nulli causet præjudicium, testari de illis ad pias causas poterit. Quænam autem sint talia profectilia, vide quæ diximus supra n. 296.

325. *Bene vero prodigi, impuberes, et damnati ad mortem.* — Infertur ulterius, quod, quia prodigi rerum suarum dominium retinent, testari ad causas pias valeant, non obstante, quod administratione bonorum careant; cum hujus privatio, testamenti factionem nequiquam impediatur, prout videtur est in minore pubere, qui testari juxta omnes potest; licet administrationem rerum suarum non habeat. Idem est de impuberibus pupillis septimum annum jam egressis, judicium sufficiens ac naturale ad peccatum mortale, consequenter etiam ad valorem naturalem aliorum actuum jam habentibus. Pariter quia juxta dicta supra n. 306. bona damnatorum ad mortem non confiscantur, testari saltem ad causam piam poterunt taliter damnati. (ADNOTATIO XXXII.)

§ XI.

DE TESTAMENTIS CLERICORUM TAM REGULARIUM, QUAM SÆCULARIUM: TAM MAJORUM, QUAM INFERIORUM.

Suppono prius ex dictis supra præced. tit. n. 3, et 4. Quænam sint; et dicantur bona clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, seu industrialia, parcimonialia, et mere ecclesiastica.

326. *Clerici testari possunt de bonis patrimo-*

nialibus, et quasi patrimonialibus. — Quæritur I. An, et de quibus bonis clerici sæculares facere possint testamentum? Resp. I. De bonis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus seu industrialibus clerici sæculares omnes tam majores, quam minores, æque ac laici facere possunt testamentum. Jul. Clarus, § *Testamentum*. q. 27; Abbas, in c. i. h. t. n. 1; Pirhing, h. t.; Navarrus, de *Reddit. Eccles.* q. 1. n. 59. et 82. cum communi et certa aliorum, claris juribus, c. *Quia nos*. 9. h. t. ibi: « Consultationi tuæ respondemus, quod clerici de his, quæ paternæ successionis vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam pervenerunt ad ipsos libere disponere valeant. De his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt testamentum. Concordat, can. 1. et 2. cau. 12. q. 3. et can. *Episcopi*. 19. ead. caus. q. 1. ibi: « Episcopi de rebus propriis vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant. »

327. *Sicut et de parcimonialibus.* — Resp. II. Etiam de parcimonialibus bonis possunt clerici facere testamentum, dicitur Thomas, 2. q. 183. a. 7. in respons. ad 2; Covarruvias, de *Testament.* cap. vii. n. 9; Navarrus, de *Reddit. Eccles.* q. 1. mon. 26. et 43. ac 44; Pirhing, h. t. n. 33; Konig, eod. n. 27. estque communiter recepta sententia; ita ut Barbosa, in c. *Cum officiis*. n. 3. h. t. dicat ita de facto sentire omnes, etsi contrarium teneat Garcias, de *Benefic.* p. 2. cap. i. n. 9. Ratio conclusionis est, quia, ut supra tit. præced. n. 15. diximus, clerici bonorum parcimonialium perfecti sunt domini, habentque illimitatam potestatem de iis pro libitu disponendi; ergo etiam testandi, arg. cit. can. *Episcopi*. 19. can. 12. q. 1. ubi de propriis rebus testari, clerico conceditur; consequenter etiam de bonis parcimonialibus, utpote propriis, et ad dominium clerici spectantibus juxta dicta.

328. *Solvitur objectio.* — Nec obstat c. *Quia nos*. h. t. ubi dicitur, quod clerici de bonis, quæ intuitu beneficii perceperunt, qualia etiam esse videntur bona parcimonialia, nullum de jure facere possint testamentum. Nam contra est, quod ibi sit sermo de solis ecclesiasticis superfluis, hoc ipso, quod bona sustentationi necessaria, postquam clerico ad hunc finem semel data fuere et col-

lata, cessent esse bona ecclesiastica, sicuti bona superflua a clerico pauperi data; eo quod finis fundatorum jam sit impletus; ut proin sicut pauper ita acceptorum perfectus fit dominus, perfectæque de eis disponere potest, ita et clericus de bonis ad suam honestam sustentationem sibi collatis, perfecte disponere potest.

329. *De bonis ecclesiasticis superfluis, nec ad piam causam testari potest clericus, loquendo de jure.* — Resp. III. De bonis ecclesiasticis superfluis clerici penitus nullum, nec ad causam piam, de jure facere possunt testamentum. Omnes, ob clarissima jura, cit. c. *Quia nos*. 9. h. t. ibi: « Quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt testamentum. » et c. *Ad hæc*. 8. eod. ubi, licet concedatur, quod clerici in vivis existentes de bonis ecclesiasticis eleemosynam dare queant, tamen etiam eleemosynæ causa, consequenter ad piam causam testari prohibentur, ibi: « Præsentibus innotescat, quod clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possint: viventes tamen, et sui compotes moderate valent aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti: » Concordat, c. i. et c. *Cum in officiis*. 7. et c. *Relatum*. 12. ac alia h. t. Ratio autem, ob quam Ecclesiam etiam ad pias causas de bonis ecclesiasticis testari prohibuit clericis, secundum Layman, lib. IV. tract. II. cap. III. n. 6; Navarrum, et alios, videtur fuisse hæc, ut clerici videntes, nullam sibi superesse facultatem de bonis suis mortis causa disponendi, a turpi illa ac nociva erogandi cura, et sollicitudine liberi, bona sua superflua adhuc in vivis in pias causas, pauperes præcipue, quorum patrimonium alias jam sunt, libentius erogarent. (ADNOTATIO XXXIII.)

330. *Vi consuetudinis possunt de præfatis bonis testari ad causam piam.* — Quæritur II. An non saltem vi consuetudinis clericis de bonis ecclesiasticis superfluis pro libitu tam ad profanam, quam causam piam testari valeant? Resp. potest induci legitima consuetudo, vi cujus clerici sæculares de bonis ecclesiasticis superfluis testamentum ad pias causas valide et licite condere queunt. Molina, disp. 147, n. 25; Pirhing, h. t. n. 40; Abbas, in c. *Cum in officiis*, h. t., n. 5; Layman, Navarrus, cum communi et certa aliorum. arg. c. *Relatum*. 12. h. t. Ratio est, quia testari ad causas pias clericis prohibi-

tum est solo jure humano; contra jus autem humanum valide, et licite introduci potest consuetudo, c. fin. *de Consuetud.* ergo.

331. *Talis consuetudo passim habetur introducta.* — Et quidem hujusmodi consuetudo de bonis ecclesiasticis superfluis testandi ad causas pias, passim, præsertim in Germania habetur introducta a clericis inferioribus, non item ab episcopis, ut proin illi, non item isti de præfatis bonis testamentum ad pias causas facere valide ac licite possint. Quamvis teste Molina, loc. cit. etiam episcopis pontifex licentiam ad pias causas testandi concedere soleat, quod ipsum pro ratione conclusionis confirmat, videlicet, ita testari esse solo jure humano prohibitum; secus enim ita testandi licentiam dare pontifex non posset, utpote cui potestas in jure divino, vel naturali dispensandi nulla competit; hoc ipso, quod lex superioris per inferiorem tolli non possit, Clem. *Nec Romani. de Elect.*

332. *Solvitur objectio.* — Dices juxta dicta tit. præced., clerici non habent dominium bonorum superfluatorum ecclesiasticorum: ergo nec vi consuetudinis de illis testari possunt; eo quod non nisi de propriis suis bonis quis testari valeat: arg. c. *Filius.* 6. h. t. et testamentum aliqua species donationis sit, quæ de rebus alienis fieri posse non videtur. Resp. concessio ant., negando consequentiam. Ad rationes dico, clericum non tam suo, quam Ecclesiæ vel Christi nomine, ad quem dominium spectat, de superfluis ecclesiasticis testari, eo modo, quo in vivis eadem bona pauperibus donat, non obstante, quod eorum nullum habeat dominium: vel eo modo, quo tutor juxta dicta tit. XXIV. *de Donation.* modica de rebus pupilli donare potest, quamvis dominus illorum non sit: vel etiam eo modo, quo juxta communem religiosi prælati facultate pontificis testari valent; licet nullius rei dominium habeant, quamvis etiam absolute negari possent rationes allatæ; cum juxta dicta donatio rei alienæ, et juxta dicenda legatum ejusdem valeat.

333. *Doctores scribentes vi consuetudinis posse clericos valide et licite testari ad causas profanas.* — Quoad alteram quæsitam partem de clericorum consuetudine testandi ad profanas causas, notandum magnam esse controversiam inter doctores, qui in tres diversas opiniones abeunt. Prima est docentium, consuetudine introduci posse, ut valide ac

licite ad causas profanas de bonis ecclesiasticis superfluis testentur, ita sentiunt Barbosa, lib. III. *Jur. Eccles. univ.*, cap. XVII, n. 67 et 68; item in c. *Cum in officiis.* 7. h. t., n. 6 et 7; Garcias, *de Benefic.*, p. 2, c. 1, n. 46 et seqq.; Azorius, p. 2. lib. VII. cap. IX. q. 1. Pro eadem sententia citat Pirhing, n. 39, etiam Covarruviam, et Lessium, sed immerito, cum uterque doceat talem consuetudinem validam, sed non licitam esse, uti videre est apud Lessium, lib. II. cap. XIX, n. 43 et 44, et Covarruviam, in c. *Cum in officiis.* 7. h. t. n. 27, ubi postquam, n. 23. ad longum probare conatur, valere talem consuetudinem, ad finem n. 27. addit clericos nihilominus peccare, si vi talis consuetudinis in causas non pias quid distribuant.

334. *Alii volunt, id valide sed non licite fieri posse.* — Secunda sententia est validam quidem, sed non licitam esse consuetudinem testandi ad causam profanam: seu, quod idem est, consuetudine introduci posse, quod clerici de bonis ecclesiasticis superfluis valide testentur ad usus profanos, non vero quod licite testentur, consequenter non obstante consuetudine etiam immemoriali, si omnes peccent mortaliter, qui de præfatis bonis ad causam profanam testantur, licet testamentum valeat, ita ut hæredes profani instituti hæreditatem tuta conscientia acceptare, et retinere valeant. Ita docent Lessius, et Covarruvias, loc. cit.; Molina, disp. 147, n. 20 et 31; Zoesius, h. t., n. 7. et alii. Fundamenta utriusque sententiæ infra ponemus loco objectionum contra tertiam sententiam, quam proponit conclusio sequens, qua

335. *Probabilius est, quod nec licita, nec valida, consuetudo testandi ad causas profanas dari possit.* — Resp. II. Non potest introduci aliqua consuetudo, vi cujus clerici sæculares sive majores, sive inferiores de bonis ecclesiasticis superfluis ad causas profanas licite vel valide testari possint: sive quod idem est, non tantum illicita, sed etiam invalida est clericorum consuetudo testandi ad causas profanas, ut proin clericis de bonis ecclesiasticis ad causam profanam testantes non tantum mortaliter peccent, sed etiam invalide agant, nullumque ac irritum sit testamentum hujusmodi ad causam profanam conditum; consequenter hæres profanus in eo scriptus hæreditatem tuta conscientia nec accipere nec retinere possit, et acceptam sub grav culpa ex justitia iterum restituere teneatur. Duas partes habet conclusio. Quarum prima

est, quod illicita sit talis consuetudo, seu quod vi consuetudinis licite testari ad causas profanas non possint clerici, docetur a Navarro, disp. 147, n. 31; Lessio, loc. cit. n. 44; Abbate, in c. *Cum in officiis.* 7. h. t., n. 5, et *Cum esses.* 29 et 30; Covarruvia, loc. cit. n. 27; Zoesio, loc. cit.; Laymano, lib. IV, tr. II. cap. III. n. 7; Pirhing, h. t., n. 42; Engel, in *Manuali paroch.* part. IV. cap. IV. n. 26; Tanner, tom. III. disp. 4, q. 6, dub. 8, n. 249; Sylvestro, et communissima aliorum, contra doctores, n. 333, relatos, nempe Barbosam, Garciam, Azorium, et nonnullos alios, quorum tamen sententia hodie vix non unanimiter rejicitur.

336. *Probatur ratione duplici.* — Probatur conclusio imprimis ex dictis tit. præced. *de Peculio cleric.*, § 3, n. 53, ubi probavimus, quod clerici de jure naturali ac divino teneantur, bona superflua ecclesiastica erogare in causas pias. Ex hoc enim manifeste sequitur consuetudinem aliter erogandi licitam non esse, sed potius illicitam et inquam corruptelam; cum juxta omnes quævis consuetudo juri naturali vel divino contraria, illicita, et pessima sit corruptela, arg. c. fin. *de Consuetud.*, patetque ex dictis, lib. I. tit. IV. *de Consuetud.* § 2. Verum, quia sunt nonnulli docentes clericos solo jure ecclesiastico, non item divino vel naturali teneri bona superflua ecclesiastica in causas pias erogare; ideo etiam contra illos et universaliter contra quosvis alios.

337. Probatur conclusio efficaciter sequenti argumento a Pirhing, Laymano, Lessio, et aliis proposito. Juxta omnes doctores etiam adversarios clerici non obstante consuetudine mortaliter peccant, si quid notabile de bonis ecclesiasticis superfluis ad causam profanam in vivis applicant: seu, quod idem est, nulla consuetudo efficere potest, quod clerici in vivis bona ecclesiastica superflua in causas profanas licite applicant: ergo multo minus vi consuetudinis id fieri potest per dispositionem mortis causa; tum quia rursus juxta omnes doctores, clerici majorem potestatem habent disponendi de bonis ecclesiasticis inter vivos, quam mortis causa, textu claro c. *Ad hæc.* 8. cum concord. h. t., tum quia penitus nulla ratio vel fundamentum assignari potest, ob quam clerici vi consuetudinis per dispositionem, mortis causa possint bona sua superflua ad causas profanas applicare, et non per dispositionem inter vivos.

338. *Consuetudo irrationabilis nec licita.* —

Secunda pars conclusionis, videlicet, quod etiam invalida sit memorata consuetudo, sive quod vi consuetudinis de bonis ecclesiasticis superfluis nec valide testari valeant ad causam profanam, docetur a Navarro, loc. cit.; Abbate, in c. *Cum in officiis.* n. 5, h. t. et in c. *Cum esses.* eod. v. 29 et 30; Pirhing, h. t. n. 42; Layman, loc. cit.; Engel, loc. cit. ac insuper h. t. n. 3; Tanner, tom. III, disp. 40. q. 6. dub. 8, n. 249; Sylvestro, *ÿ. Clericus.* 4. Archidiac. Maigron. Barbat. Angel. Alvar. Peleg. Cajetan. et teste ipso adversario Covarruvia, loc. cit. n. 23. magis communis aliorum contra doctores relatos n. 334. Probatur autem nostra sententia taliter. Illa consuetudo non est valida, quæ non est rationabilis; atqui consuetudo clericorum de bonis superfluis ecclesiasticis testandi ad causas profanas non est rationabilis, ergo. Majorem omnes, etiam adversarii concedunt, ob clarum textum c. fin. *de Consuetud.*, ubi expresse habetur consuetudinem non valere, « nisi fuerit rationabilis, » dictumque est amplius, lib. I. tit. IV. *de Consuetud.* § 2. Minor probatur: Consuetudo naturaliva peccati, seu præbens occasionem peccati, sive quæ sine periculo exerceri nunquam potest, non est rationabilis, sed irrationabilis; utpote contra Deum et animam militans; atqui talis est consuetudo memorata: ergo. Major rursus conceditur ab omnibus etiam adversariis, arg. cit. c. fin. et c. *Ex parte.* 10. *de Consuetud.* c. *Extirpanda.* *de Præbend.* c. *Non satis.* 8. et c. *Cum in Ecclesia.* 9. *de Simon.* juncto can. *Mala consuetudo.* 3. dist. 8. et c. fin. *de Præscript.* Minor contra adversarios n. 333. relatos est probata supra n. 337., ab adversariis vero n. 334. adductis ultro conceditur; utpote qui ipsi docent talem consuetudinem esse illicitam, et sine peccato praticari non posse, ergo.

339. *Nec valida est.* — Probatur secundo, et quidem specialiter contra doctores secundæ sententiæ n. 334. citatos. Consuetudo militans contra jus naturale non tantum est illicita, sed etiam invalida, et potius corruptela; atqui consuetudo præfata militat contra jus naturale, ergo. Major est certa et evidens, concedique debet a quovis sanæ mentis, textu clarissimo cit. c. fin. *de Consuetud.* ibi: « Nemo sanæ mentis intelligit naturali juri (cujus transgressio periculum salutis inducit) quacunque consuetudine (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse ali-

quatenus derogari. » Minor constat non tantum ex dictis, et probatis supra n. 336. sed etiam ex propria confessione adversariorum n. 334. citatorum, uti videre est apud Molinam, disp. 147. n. 31. ergo.

340. *Implicat consuetudinem aliquam esse validam, et non licitam.* — Probatur tertio § Implicat consuetudinem aliquam esse illicitam et tamen validam: ergo si, uti concedunt doctores n. 334. allegati, et contra citatos n. 333. probatum est, consuetudo præfata est illicita, etiam erit invalida. Consequentia patet. Anteced. probatur. Consuetudo illicita, et quæ sine peccato practicari non potest, est irrationabilis per jura citata n. 338. sed implicat consuetudinem irrationabilem esse validam c. fin. *de Consuetud.*, ergo etiam implicat consuetudinem illicitam esse validam.

341. *Probatur dilemmate.* — Confirmatur sequenti dilemmate adversariis secundæ sententiæ solutu plane difficili. Consuetudo clericorum de bonis ecclesiasticis testandi ad causam profanam, vel est rationabilis, vel non? Neutrum, quin se intricent, dicere possunt adversarii, ergo. Si enim dicunt eam non esse rationabilem, illico doctrina ipsis contraria legitime infertur: ergo neque est valida; cum non nisi rationabilis consuetudo contra legem sit valida, ipsismet fatentibus adversariis, textu expresso c. fin. *de Consuetud.* Si respondent eam esse rationabilem, rursus doctrina ipsis contraria sequitur: nempe: ergo etiam est licita; cum quævis consuetudo rationabilis non tantum valida, sed etiam licita sit prout omnes concedunt, arg. *Sæpe. cit. c. fin. de Consuetud.*

342. *Vi juris quidem, sed non vi consuetudinis esse quid potest illicitum, et tamen validum.* — Nec dicas multa esse illicita, et tamen valida, prout videre est in casu, quo quis injuste resilit a sponsalibus de futuro, et sine consensu sponsæ prioris, matrimonium de præsentibus contrahit cum alia, ubi matrimonium est validum, non obstante, quod sit illicitum, seu illicite contrahatur, idem contingit in aliis innumeris casibus et contractibus; ergo non implicat, quin idem fieri possit, in materia testamenti, quod nempe quis illicite, sed tamen valide condere possit testamentum, juxta vulgare juris? « Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint roboris obtinent firmitatem. » Nam respondetur distinguendo Anteced. multa sunt

illicita, et tamen valida, vi consuetudinis, negatur: sunt illicita, et tamen valida ipso jure naturali, vel humano; conceditur anteced. et ita distincto consequenti, conceditur, et negatur consequentia. Et per hoc patet etiam ad exemplum adductum; quia matrimonium contra fidem prioris sponsæ illicite contractum, non est validum vi consuetudinis, sed vi juris communis, arg. c. *Si inter. de Sponsal.* Pariter respondetur ad illud juris: videlicet, quod multa fieri prohibita, postquam sunt facta, roboris obtineant firmitatem vi ipsius juris, non autem vi consuetudinis. Ratio est, quia nullus actus, vel contractus de jure illicitus et invalidus, per consuetudinem validari potest, nisi sit legitima et rationabilis, si autem est legitima et rationabilis, actum non solummodo validum, sed etiam licitum reddit cit. c. fin. *de Consuetud.* Sed audiamus adhuc alias objectiones adversariorum.

343. *Solvitur objectio.* — Objiciunt primo: Clerici solo jure humano prohibentur de bonis ecclesiasticis superfluis testari, c. 1, II, VII, IX, et alii h. t. atqui contra jus humanum licita simul et valida est consuetudo; ergo. Resp. I. Transmissa majori, distinguendo min. contra jus humanum licita et valida est consuetudo rationabilis, negatur, arg. c. fin. *de Consuetud.* Pariter distincto consequenti, conceditur, et negatur consequentia. Quod autem clericorum consuetudo testandi ad causas profanas, sit irrationabilis, patet ex eo, quia juxta dicta et probata n. 338. semper est illicita, et fovens peccata: cum, etsi dato non concessio, solo jure humano prohibitum esset, testari ad causas profanas, clerici non obstante quavis consuetudine peccarent, si de præfatis bonis aliquid in causas profanas, inter vivos disponerent; consequenter etiam et multo magis, si mortis causa id faciant.

344. Dicitur notanter in responsione « Transmissa majori, » nam aliter respondetur II, distinguendo majorem. Clerici solo jure humano prohibentur testari, ad causas pias conceditur, ad causas profanas negatur. Cum enim juxta dicta tit. præced. num. 53, clericis jure divino universaliter ac indistincte sit prohibitum, bona ecclesiastica superflua in causas profanas erogare, vel expendere eodem jure divino etiam eis prohibitum erit, dicta bona, per dispositionem mortis causa in usus profanos destinare: tum quia eadem, imo major est ratio de dis-

positione mortis causa, quam inter vivos, juxta dicta n. 337. arg. c. VIII. h. t.; tum quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus; tum etiam quia eo modo, quo prohibetur genus, eodem censetur etiam prohibita species; nam « in toto partem contineri, non est dubium, » reg. 80. jur. in 6. consequenter quia erogatio honorum ecclesiasticorum in causas profanas generaliter ac indistincte est prohibita jure divino, eodem etiam prohibita erit erogatio eorumdem honorum ad causas profanas per dispositionem mortis causa.

345. *Clerici bona superflua jure divino tenentur erogare in causas pias.* — Nec dicas non posse solido fundamento ostendi, quod clerici jure divino sit prohibitum, erogare bona superflua ecclesiastica in causas profanas, præsertim cum ostendi nequeat, contra quam virtutem peccent clerici tale præceptum transgredientes. Nam respondetur, id satis solide ostensum fuisse tit. præced. n. 55. et 57. ubi probavimus clericos ex justitia teneri erogare bona superflua in causas pias; sicque aliter erogantes, contra justitiam, et consequenter contra jus divinum peccare.

346. *Licet Papa det licentiam testandi de bonis Ecclesiæ superfluis.* — Urgebis, si quævis erogatio honorum ecclesiasticorum superfluatorum, et consequenter testamentum de eisdem ad causas profanas esset jure divino prohibita, non posset Papa licentiam, et facultatem dare de præfatis bonis ad causam profanam inter vivos, vel mortis causa licite disponendi; cum inferior non possit dispensare in lege superioris, Clem. *Ne Romani. de Elect.* atqui Papa clericis dedit licentiam et facultatem tam inter vivos, quam mortis causa de bonis ecclesiasticis superfluis disponendi ad causas profanas, ut patet ex bulla Sixti IV, quæ incipit, *Etsi universis.* calend. Jan. 1474. edita, et Bulla Julii III. *Cupientes ut Alma* 1500, edita, estque quinta inter constitutiones dicti pontificis in Bullario Cherubini, cujus tenor sic sonat: « Motu proprio, etc. Statuimus et ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes et singuli Urbis incolæ, cujuscunque dignitatis, status, gradus, conditionis, præeminentiæ vel conditionis existant, etsi cardinalatus honore, aut patriarchali, archiepiscopali, etc., vel quavis dignitate ecclesiastica, vel mundana præfulgeant, etc., de omnibus et singulis eorum immobilibus, mobilibus, et se moventibus bonis, juribus, ac-

tionibus, et rebus aliis in dicta Urbe et ejus districtu pro tempore existentibus, et per eos etiam ex fructibus, redditibus, et proventibus ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum, etc., acquisitis, cujuscunque quantitatis, qualitatis, summæ, valoris, et pretii, seu conditionis existant, tam donatione inter vivos, quam causa mortis, etiam testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, aut quavis alia ultima voluntate, in favorem consanguineorum, et affinium, et quarumvis aliarum personarum disponere licite valeant, etc. quodque si ab intestato decesserint, eorum bona et hujusmodi, ad ipsorum pro tempore proximos agnatos et alios, etc. qui eis (nisi essent beneficiati) de jure succedere deberent, alias juxta juris dispositionem libere devolvantur. » Quam constitutionem denuo confirmavit Paulus V. In constitutione, *In eminenti.* 18 aprilis 1606, edita, quæ est XVIII apud Cherubinum.

347. *Tenantur clerici jure divino dicta bona ad causas pias erogare, et quare?* — Ad hoc argumentum respondetur, concedendo, quod non possit summus Pontifex universim cuilibet dare facultatem de bonis ecclesiasticis ad causam profanam pro libitu disponendi; cum ipse non sit dominus omnium honorum ecclesiasticorum, sed tantum administrator a Deo constitutus non ad dissipandum, sed ad legitime dispensandum, et rationabiliter expendendum, tanquam res Dei, seu ad cultum divinum oblata, et donata, uti bene advertit Abbas, in *Repetit. c. Cum esses.* 10, h. t., n. 20; Molina, disp. 147, n. 43 et 34; Layman, loc. cit. et alii, arg. can. 1, distinct. 40, et can. *Non liceat Papæ,* caus. 12, q. 2. Quo tamen non obstante in casu vel loco particulari ex rationabili causa similem facultatem ad causas profanas testandi concedere potest Pontifex; eo quod nullus fidelium sua bona ita offerre potuisse, vel voluisse censendus sit, quin adhuc Pontifici tanquam universali dispensatori et administratori bonorum ecclesiasticorum remaneat libera potestas disponendi de iis prout causa rationabilis, et bonum Ecclesiæ requisierit, arg. c. II. *de Præbend.* in 6. c. *Si Papa.* 10. *de Privileg.* in 6. et Clement. un. *Ut lite pendent.* Cujus ratio est, quod dum Papa ex rationabili causa, et pro bono Ecclesiæ in casu vel loco particulari licentiam de bonis ecclesiasticis ad causam profanam testandi concedit facultatem, hoc ipso, ob piam causam, consequenter in favorem causæ piæ conce-